



Hunc librum Musis
suis inservientem
iure possidet
Theodor Mahlmann

TM 0284

Theodor Mahlermann
2. 11. 1995

Verhalt:

1. Johann Konrad Jaumbacher
Althea sancta sui iudex
Straßburg 1653
2. Konrad Rühlens [Rüchel]
Konilia de autoritate Siquisbei Apostolicorum
Wittenberg 1601
3. Johannes Förster
oratio apologetica pro luthero
Wittenberg 1611
4. Johannes Fisenius
In piam et gratam Reformationis
evangelicae recordationem ...
errorum pontificiorum delineatio
(Resp. Hermann Mathias Haseloff)
Jülpfen 1617
5. Johannes Fisenius
Prodromus refutationis errorum
pontificiorum
(Resp. Otto Brawen [Branen])
Jülpfen 1618
6. Christoph Cellarius (Praes.)
De Pathema lutheri in arce Wartburg
pope Iseacum, animadversiones historice ...
obtulit Augustinus Antonius
1696; tertium excursus, Halle 1700

weiter siehe hinten

97.
ΑΠΟΣΠΑΣΜΑΤΙΟΝ
Politico-Historicum,
De
Machiavellistis & Monarchomachis;
Cujus occasione simul

B. MEGALANDER NOSTER
LUTHERUS,

Divinâ indulgente gratiâ,
à *Monarchomachias crimine,*
& *Calumniis*

Gvil. Barclaii,

sub Præsidiò

M. J. WOLFII. G. S. R.

ἀσκήσως ἐπέκειν

vindicatur,

à GEORGIO JOACHIMO DE
CLINCKOWSTROM,

A. O. R. M D C C V I. Mens. Jul.

JHOVA FORTUNANTE!

Thes. I.



*M*utuam inter Principes & Subditos ex præstito homagiò, seu juramentò fidelitatis, obligationem enasci, ex moderatioribus Christianæ gentis Politicis nemo facile erit, qui addubitet; Quemadmodum enim *hi* ad Subjectionem, fidem & obsequium; ita *illi* ad Salutem publicam communemq; utilitatem tuendam, & omni legitimò modò amplificandam, obligantur; quippe positò officio, necessariò ponitur obligatio, Vide PUFENDORF: *De Offic. Hominis & Civis*, Lib. II. Cap. II. RECHENBERGII *Lineamenta Philosoph. Civilis*, Part. II. C. 16. p. 180. seqq. BOXHORNII *Institutiones Politicæ* L. II. C. 2. §. 2, & Cap. III. §. 5.

Thes. II. *Ista autem obligatio in quantum limitari queat: & utrum ille, qui ratione honorum subditus est, etiam ratione persone, (& contra) semper ac necessariò talis sit: item, quid discriminis sit inter subditum merè strictèq; talem, & inter Vasallum; inter subditum propriè & impropriè talem; item: An Subditorum obedientia simplex & absoluta esse debeat; An ad inhonesta, & moraliter impossibilia extendi queat, & qua sunt alia; nostri nunc instituti non est altius disquirere. Videatur CLAUSENII in Compend. Politic. L. IV. C. 7. Confer. BECMANNI Meditationes Politic. Cap. XIX. Th. 2, 3.*

Th. III.

Th. III. Circa exercitium absolutæ potestatis, sic ubi summo Principi in subditos competit, posteaquam Politici in utramvis partem sentire cœperunt; *alii* in excessu peccarunt, *alii* in defectu: atque ita quidem initiò graves controversiæ, mox deinde *Machiavellistarum*, & *Monarchomachorum* Sectæ ac Factiones, ex multifariò, super hoc Capite opinionum, disensu enatæ fuerunt. *Vid. Celeberrimi THOMASII Jurisprud. Divin. L.III. c. 6. §. 67. seqq.*

Th. IV. *Machiavellistis* nomen dedit *NIC. MACHIAVELLUS*, qui ducentis abhinc annis, initiò quidem Reipubl. Florentinæ in Italiâ, dein *Casari Borgia*, quem Propudium illud Romanæ Cathedræ *Alexander VI.* pudendis nuptiis procreaverat, (*THUAN: Hist: L.I. p. 30.*) à Secretis fuit. *Vid. QVNSTED, Dial. Illustr. Viror. pagin. 314. LANSII Consultat: Orat: contr. Ital. p. m. 1028, 1029. VVELSII Politic. Vernac. Part. I. C. 4. qv. 8. HUBNERI Quest: Historico-Politicæ, Part. III. Lib. I. p. 156. seqq.*

Th. V. Ex insolentissimi hujus hominis dogmate ac formulâ, ut compendiariam ejus faciamus, Principi licet subditis suis pecorum ritu abuti; neq; is ad leges fundamentales ullo modo adstrictus est, dum privatam utilitatem strenuè procurare queat. *VVEIS, Loc. citat.* Sed enim vero dignus ob id erat impius Doctor, ut ipse suo Principi Arcadicorum pecorum officia semel atq; iterum de die præstaret.

Th. VI. Equidem *CONRINGIUS Animadversionn: in Cap. 18. Machiavelli de Princ.* putat, illum hoc dogma suum, ex *Lysandri*, qui Lacedæmoniorum Dux erat, formulis

mulis emendicasse. Vid. *VVINTERFELDII* Teutsche
und Ceremonial - Politicam, Lib. 2. c. 2. n. XIII, sub fin.
Certissimò indicidò, Machiavellistas jam ante Machiavellum
fuisse. Conf. *BECMANNI* Op. Cit. L. 1. c. 1. sub. fin. §. VI.
Lege verò ipsum etiam *ANTIMACHIAVELLUM*, seu,
ut rectius quidem vocatur, *NICOLAUM GENTILETUM*
(vid. *GEISLERI* Disfert: de Anonym. Scriptor:) in *Commen-*
tarr: contra Nic. Machiavellum.

Th. VII. Ac licet præ cæteris æstimanda sit *Machi-*
avelli Historia Florentina, quâ status Liberæ Reipublice
Florentinorum magnâ libertate describitur, quæ verba
sunt *Burcardi Gotthelff. STRUVII*, in *Biblioth. Select. Hi-*
stor. p. 698. Quamvis & in *Biblioth. THUANI, à Puteanis. Bulli-*
aldò & Quesnellò editâ, per plurima passim monumenta
extent, quæ de *Machiavelli* ingenio ad literas aptò facilè
testentur; Aliud tamen est, esse elegantem Scriptorum,
luculentum Historicum, &c. aliud, esse pium Politicum
& bonum Consiliarium.

Th. VIII. Cæsar Borgias, cui à secretis erat *Machia-*
vellus, Secretarii hujus sui principia non modo *Civ ap-*
Φοiv, quod Græci, & quod Galli ajunt, *des mains & des*
piés, amplectebatur; sed eadem etiam gladio tuebatur
ac defendebat, vim omni ratione & æquitate potio-
rem esse pervasus.

Th. IX. Qui verò impiæ rei colorem offundere,
& *Machiavelli* principia specie quâdam legalitatis mitiga-
re student, aut ad jus Regis *1. Sam. 8. v. 11. seqq.* provo-
cant, aut ad *Rom. 13. v. 1. seqq.* confugiunt, & subinde
Dominium eminentis, (quem terminum *Grotius* observante
BOECLERO *Notit. R. Imp. Lib. XVIII. C. 1. primus peperit,*)
ad excessum usq; crepant. *Th. X.*

Th. X. Sed quod priore locò de factò futurum esse à Samuele prænunciatur, id non de jure accipiendum erat; quodque ex usurpatò Dominiò violenter & injustè fit; id justè & Salvà Regis conscientià fieri, nullà ibidem ratione innuitur; quin potius *Deuter. XVII. v. 18, 19, 20.* longè aliud jus Regis describitur, quod *Machiavellistarum* putatio juri è diametrò opponi potest. Locum tamen *Samuelis* ex *MAROCCIO*, *GROTIUS*, & *GERHARDO à Renesse* sufficienter illustravit *CLASENIUS Op. Cit. L. II. C. 3. th. V. p. 154, 162, 163.* Qui nobis hic præ cæteris satisfacit. Confer *GROTIUM de Jur. Bell. & Pac. cum Commentar. GRONOVII, & JO. TESMARI, nec non Observat. OBRECHTI, in Fol. L. I. C. I. §. 4. Not. b. §. TESM. §. 5. fin.* Ubi Vocabulum *Jus*, quod *l. c.* per *ΨΨΨ* exprimitur, Ipsi Auctori, & Interpretibus redditur, per *qualitas, vis, potestas, RATIO. Das ist des Königes Weise.* Ita & *Belga: (Dit sal des Konings Wyse zyn.) JUN: & TREMELL.* itidem vertunt per *Rationem.* Unde in promptu est explicatio. Videantur & *Orthodoxi Sacrarum literarum Interpretes*, ad unum omnes.

Th. XI. Qui ex posteriore locò *Machiavellistarum* principia adstruere satagunt, hircos, ut in parœmiis est, mulgent sanè, & consequentias nesciunt, quales Ocnus, quod ajunt, funes apud inferos: neque enim apex illic apparet, qui *Machiavelli* principiis faveat.

Th. XII. Huc referri suò modò solet quæstio: *An Princeps habeat jus vitæ & necis in subditos?* Ad quam solidè quidem, sed tamen haud ex *Machiavellistarum* formulâ, respondet *PUFENDORFIUS. Op. Cit. Lib. 2. c. 13.* Quem vide & rectius intellige. Egregiè etiam in hanc quæstio-

quæstionem dislerit *Mons. DE SILHON* Conseiller d'Etat, ordinaire, dans le Traitté, qui est appellé Le *MINISTRE D'ETAT*, A la troisième Partie, au Liv. troisième. Chap. 9. 10. Quæstione: Si les Souverains ont droit sur l'honneur de leur sujets, & s'ils en sont les maîtres, comme ils le sont de leurs biens, & de leur vies. p. 203. & præcedd.

Th. XIII. In alterum extremum prolabantur, qui sunt ex contrariâ factione, & dicuntur *Monarchomachi*; tum ex ipsâ nominis notatione, tum ex dogmatibus suis satis clari, quàm sint genus hominum longè etiam pestilentissimum; nempe subditos Principi injustè agentis arma inferre; ab eodem rationes administrati Regni exigere; eum soliò & dignitate regiâ exuere; quin & securi Carnificis objicere, salvò divinò & humanò jure posse, docentes. *VVEIS. Politic. Vernac. p. 130.*

Th. XIV. Pestifera isthæc principia haud caruere, praxi, si spectamus *Regicidas* passim, ac præcipuè etiam in Rep. Romanâ Inde à Tarquiniò superbò ad Jul. Cæsarem usq; & ab hoc ad ultimùm Imperatorum, è Periodò Ethnicorum; qui furore subditorum periere: Certe mortem *Jul. Casaris*, ejusdemq; legitimam in Imperiò Romanò auctoritatem, ubi examinat *B. DANNHAWVERUS*, auctores ejus *Regicidas*, adeòq; *Monarchomachos* nominat, eosq; ex divinâ ultione intra triennium miserè periisse observat, *Theol. Casual. Tit. de Magistrat. Politic. p. 176.* Quod quidem opus omnino aureum *Felicissimo* ejusdem *Adsertori*, *VIRO Magnifico, Summè Reverendo atq; Excellentissimo*; *JO. FRIDERICO MAYERO*; *Perillustri* Academiae *Gryphica* *PRO-CANCELLARIO* Perpetuo; *PRÆSULI* ac *DOCTORI*, *Rerum Divinarum humanarumq; scientiâ* usq; quaq; *Venerabili*: Patrono atq; *Fauctori*

torino nostro, ultimò observantia & obsequii cultu prosequendo, gratisimâ manu submisit acceptum ferimus.

Th. XV. In Scotiâ Regina Maria; A. 1587. in Angliâ Carolus STUARTUS A. 1649. cruentam Monarchomachorum scenam ingredi, suoq; sanguine impia illorum axiomata obfignare cogebantur. *Vid. CHRIST. MATH. Theatr. Histor. p. 1132. b. HUBNER: Histor. Politic. Part. II. p. 966. seqq.* Nec prætermittendum de STUARTO est Celeberrimi PUFENDORFII judicium, *introd. ad Hist. Part. I. C. 4. §. 28.* Quælia fata JACOBUS A. 1689. expectanda habuisset, nisi maturius è regnò secessisset, fortunæ, & conjecturis jam post ea tempora est committendum. Integrum verò Catalogum Regum, Reginarumq;, per *Monarchomachos*; seu apertâ vi, seu ex Insidiis cætorum; in carceres conjectorum; sicariorum pugionibus interfectorum; de Saxò præcipitatorum; locò motorum; & quacumq; aliâ ratione violatorum, contexit MICRÆLIUS, post *Syntagm. Histor. Mundi*, in *Indice Exemplorum ad mores pertinent.* sub *Tit. Reges.*

Th. XVI. Ad hanc Factionem nostrò nunc ævò referenda venit *Turba Rebellionum* in Hungariâ; quos in rectam viam, & ad sanio rem mentem reducturus, de officio suo erga Imperatorem Rom: Quidam Anglicanæ Ecclesiæ Præsul, exaratâ ad eos Epistola, Christiano ac pio Zelò plenissimâ, flebiliter non minùs, quàm graviter admonet. *Vid. denNeubestelleten Agenten, in der zweyten Function Erster Depeche, num. CCII. pag. 29.* *Turbas Polonicas* Augustissimi Regis Svecici CAROLI XII. Domini Nostri longè Clementissimi gladio, & altiori Cathedræ decidendas relinqvimus.

Th. XVII. Unde, & quo tempore, exorta fuerit impia hæc secta; quàm prolixâ, quàmq; circumspectâ

hic limitatione opus sit, jam non disquiremus. De priori WEISIUS, l. c. de posteriori *Magnus Noster*, quem non sine veneratione ultimâ sic nominamus, MAYERUS, l. c. ex *Dannhaverò* quærentibus satisfecerit.

Th. XVIII. Fundamenti locò impiis suis Principiis *Monarchomachi* substernunt Distinctionem inter *Majestatem Realem & Personalem*; Hanc Regi deferunt, Illam Reip ac subditis vendicant, reservantq;: Cujus verò distinctionis lubricitatem, ne & illa, per violentam consequentiam hodierno MUNDI DOMINO, ejusq; Axiomati Monarchico fraudi sit, circumspicere satis atq; modestè examinat Clarissimus *VVeisius*, l. c. p. 132, 133.

Th. XIX. De utrâq; perniciosissimâ *Factione* pluribus differere commatibus, nec temporis nostri est, nec instituti. De eâ interim qui plura desiderat, atq; tum de *Machiavellò* ante *Machiavellum*, tum de *Monarchomachis*, ante *Monarchomachos*; De Scriptoribus, qui circa illas, aut εἰρηνικῶς, aut πολεμικῶς versati fuerunt; deq; scriptis ipsis, ἀνα-ἐκπασκευαστικῶς hinc atq; hinc per Europæ fines adornatis, cognoscere cupit, solidissimâ Informatione ex BECMANNI *Meditat: Politic. Cap. I. Thes. 6, 7, 8.* & nunc recens quidem ex HALENSIUM OBSERVATIONIBUS, Tom. VI. Observat: I. imbutus, doctior inde omnino evadet, quàm si, quod *Meursius* alicubi lascivit, somniaverit in Parnaso. Adversus *Monarchomachos* insuper etiam videri potest VITRIARIUS in *Institt. Jur. Nat. & Gent. Cap. IV.* Eleganter item ut omnia, de hac quæstione Gallicano labio disputat antea nominatus, Mr. SILHON, *Libell. cit. au Livre Quatr. Chap. III. D' autres preuves, pour montrer, que les sujets n'ont jamais droit, de*
degra-

degrader leurs Souverains, ni de se soustraire de leur obeissance. p. 253. Instar omnium tandem erit, quem statim, Theop. seqv. suo nomine & Munere publico indigitabimus.

Th. XX. Heic verò inter *Nostrates & Romanenses* quæritur: *Utrum B. Noster LUTHERUS fuerit Monarchomachus?* Etenim Pontificii ad unum omnes virulenter satis hoc crimine ipsum lacerare gestiunt; Maximè omnium verò etià *GVIL. BARCLAIUS, J. U. D. Academia Pontomusana quondam Professor, & initiò Ducis Lotharing. post etià Regis Anglia Consiliarius, (WITTEN. Diar. Biogr. Aõ. 1609.) in Lib. de Regno & Regali potestate,* adversus *Buchananum, Brutum, Boucherium, & reliquos Monarchomachos,* quorum nomine & *LUTHERUM* calumniatur, *Libr. 4. c. 20. p. 558.*

Th. XXI. *Calumniam suam sufficientissimò argumentò, scilicet, demonstraturus, mendacium excogitat lex jugera longum; nempe LUTHERUM funestissimi belli Rusticorum, quod in Germanià Aõ. 1524. seq. exoriebatur, Auctorem extitisse, & agrestes homines incantamentis suis, velut Circæis poculis, adeò infatuasse, ut circiter centum millia hominum miserè perierint; Quò de bellò passim, in omnium Historicorum monumentis videri potest.*

Th. XXII. Neq; verò cum *hoc Rusticorum bellò,* ratione principii & causæ impulsivæ, confundendum est illud, quod ætas nostra superiori annò in *Bavarià* vidit; id enim ex aliò Capite principioq; adversus Imperatorem Romanum gerebatur, Gallorum artibus & ipsius Ducis instinctu, eò nimirum, quod Imperator *R. Bavariæ* Ducem terris suis ejecerat: Quandoquidem tamen id ipsum fecerat justis & legitimis armis; etiam hi Rustici inter *Monarchomachorum* exempla locum sibi promeruerunt.

B

Th. XXIII.

Th. XXIII. Primò equidem *BARCLAI*o idem, quo ille *Boucherium* (Lib. VI. c. 6.) stringit, scomma impingimus; *Αυτός έφα* : Sive: *Nôtre Docteur, Monsieur Barclajus* & *a dit*: Nam si accusare sufficit, quis erit innocens? Certè verò, qui *LUTHERUM*, sub ingressum Lib. I. pag. averf. rabiosò calamò Parentem malorum & mendaciorum insigniverat; Is eò magis cavere debuisset, ne eodem ab aliis crimine condemnaretur; quod tamen haud fecit; Ceteroquin Vir sui ordinis clarissimus, & *vel unâ nominis conjecturâ Eruditus*, ut loquitur de eo *GRAMONDUS* *Histor. Gall. post Init. p. 513.*

Th. XXIV. Deinde verò adversus *Barclajum* argumentamur, ex principio quodam Interno, è quo per optimam consequentiam constabit, *LUTHERUM* *Monarchomachias* reum haud fuisse: *Quicumq;* enim contra *Hæreticos* pio, eoq; generoso Zelo, docet, *Magistratum* esse personam à Deo institutam, ideòq; sanctè habendam; *Officium* Magistratus esse divinum; *Magistratui* obedientiam deberi in omnibus, quæ non pugnant cum divini nominis gloriâ; *pro Magistratibus* esse orandum; *Evangelium* non tollere, aut abolere, politias, &c. &c. *Quicumq;* item, edito Scripto, tumultuantes *Rusticos* à Seditioe, velut à flagitiosissimo scelere, non solum externo factò, verum etiàm verbis & cogitationibus, fugiendo, dehortatur: Ille haud potest esse *Monarchomachus*; nisi animi sensa & facta, doctrinæ ejus sint contraria; Id quod de *Megalandro* nostro ne somniare quidem fas est; Si enim perfidum ejusmodi pessimumqve simulatorem agere voluisset, (quod certè quidem ab *Heroico* ejusdem generosoq; pectore longè alienum erat) à *Papistis* non exivisset, qui simulandi artem publicè re & verbis profitentur.

Th. XXV. Assumptionem hujus nostræ Propositionis B. *LUTHERI* Scripta, Libriq; Symbolici, in Ecclesiâ *Orthodoxâ* semel & semper recepti, ipsâ luce clariorem reddunt, ut adeò ulteriori probatione opus non sit. *Dignus* verò hic est, ut plenius hæc de re inspiciatur *DAV. CHYTRÆUS* in *suâ Saxonîâ*, ab Ao. 1500. usq; ad 1600. pag. 285, 286.

Th. XXVI. *Barclajum* in hac demonstratione nostra propriò gladio

gladiò jugulamur : Sanè quidem ille *Regii Imperii Assertor* fortissimus, huc tamen descendit, ut populo, & insigni ejus parti jus concedat, se tuendi adversus immanem Regum Sævitiã ; quum tamen ipse fateatur totum populum Regi subditum esse. *Lib. III. c. 8. Lib. VI. c. 23, 24.* id quod GROTIUS pariter observat in *Præclaro Opere, antea cit.* *Lib. I. c. 4. §. 7. n. 4. p. 162. sub. fin.*

Th. XXVII. In arduo autem illo Reformationis negotio, quod ulcera Regum Principumq; aliquando paulò immitiùs contrectaret LUTHERUS, aut ceteroquin, minis illorum ac pollicitationibus à proposito se suo abduci haud pateretur, partim Divino ejusdem officio ac Vocationi tribuendum erat, partim verò etiam satis præsidii inveniebat in illo PETRI & Apostolorum : *Πειραρχεῖν δεῖ Θεῶν μάλλον, ἢ ἀνθρώποις.* Act. 5 v. 29. Idem illud ipse *Barclajus* innuit *Lib. III. c. 8* quum DEO & Regi, ex adductis Scripturæ verbis, obediendum esse docet. Rem nostrò sane ævò testatissimam suo exemplo reddidere *Barclaji Populares, Incolæ* præta *Tractus Cemmenii*, in Gallix finibus, vulgò ex Gallorum etymo, *Les Camisards*; (aliis ; *Religionarii, Subucularii.*) qui quidem eo nomine, quod adductæ Petri formulæ, armis etiã coacti, subscripterint, *Monarchomachias* vitio notari nullatenus debent.

Th. XXVIII. Et hoc est, quod Ille soli lingvæq; affinitate *Barclajo* conjunctus, jam supra nobis nominatus scriptor Gallicus, *Mons. SILHON* Part. cit. non dissimulat tuper quæst: *S'il y a des cas, ou il soit loisible aux sujets, de n'obéir pas à leur Souverain. Qvippe Lib. 3. c. 4.* expressè, *il faut, inquit, poser pour résolution absolue, & pour maxime inébranlable, que les sujets ne peuvent obéir en consciences, aux choses, qui sont contre la conscience, & où Dieu seroit offensé.* p. m. 167. NB. Idem omnino perinde, pro B. LUTHERO, contra *Barclajum* valere debet: Ita enim fas est agere in foro Conscientiæ & statu Confessionis publicæ.


Th. XXIX. Medium terminum, quò *BARCLAJUS* demonstrationem suam incipit, *in thesi* quidem concedimus, *in hypothesi* negamus ac pernegamus: Neq; enim B. LUTHERUS, sed *Thomas MUNZERUS*, seu *MONETARIUS*, illud Religionis suæ carcinoma, ille Anabaptistarum furor & impudentissimus sacrarum literarum contemtor, cui frequens in ore erat: *Quid Biebel / Bubel / Babel / (se malle ut omnia Biblia Rheno innatent) Belli Rusticorum in Germania*


mania, fax & tuba exitit, huic hominum generi persuadens, *Christum illis peperisse veram libertatem, adeoque eos Magistratui Politico amplius subesse non debere.* Quibus tumultibus tantum abest, ut LUTHERUS frigidam affuderit, ut potius contra seditiosos Rusticos acriter calamum strinxerit; ex JO. SLEIDANO id attestante, CHR. MATTHIÆ, in *Theatr. Hist.* p. 1055, 1056. Vid. SLEID. ipsi. De *Statu Religion. & Reip.* Lib. 4. Post hunc verò CHITRÆUM, loc. cit. Conf. MICRÆLII *Histor. Ecclesiastic.* de Hæreticis in *Seculo LUTHERAN.* p. 954, 1030. HUBNERUS de hoc bello satis succincte differens, Lectori pariter suisfecerit, in *Histor. Politic.* Part. I. p. 1063. seqq. De MUNZERO separatim vid. KROMATERUM in *Theol. Posit. Polem.* Part. *Posth.* Loc. IX. *Aph.* XIII. §. 4. Et ejusd. SCRUTIN. RELIG. *Disput.* V. th. 20.

Th. XXX. Equidem *πρωτων ψευδων*, calumnioli hujus medii termini, emanavit ex pestilentissimò odio, quo *Barclajus* & Alii, (quorum è numero & GRAMONDUS erat, *Vid. Ejus Histor. Gall. Lib. II. sub exit.* p. 178.) contra saluberrimum Reformationis opus accensus, Invidiam B. Patri nostro per universam Europam, eonflare studebant; qui tamen & ipse, quem Papæ Mancipium fuisse, ex Ingressu Lib, contra *Monarchom:* oppido liquet, Potestatem Papalem, non sine omni Pontificis offensione, limitibus sanè arctioribus, circumscriptis videtur. prouti satis superque; ex ejus, de *Potestate Papæ*, Tractatu liquet.

Th XXXI. Ac nequis ex *Barclaji* posteris, vel officii publici Consortibus, nobis objiciat, nos pro LUTHERO defensionis arma, è Germanorum scriptis & *Lutherana Fidei Professoribus*, strinxisse; Jac. Aug. THUANUM, qui est *son domestique de la foi*, ipsi opponimus, Incomparabilem, ex *Rittershusii* judicio, Historicum; Illustre illud Galliae Sidus, Scriptorem singulari fide ac judicio, (conf. QVENSTED:) Veritatis studiosissimum, (Vid. Th. MORTON: ap. MAGIRUM *Epon. Crit.*) Qui in *Historia* scribenda præclarum nomen meruit. (BOECLER: *Sec. IV.* p. 391.) Qui quidem ut non erubuit, *Celeberrimò CONRINGIO* consente, CHITRÆUM, in plerisque Rerum Germanicarum Narrationibus sequi; ita intactà B. LUTHERI famam, culpam *Belli Rustici* unice in nefarium illum scelestissimumque; Th. *Münzerum* confert, HISTOR. L. 10 p. 466. & lib. L. p. 936. Quod quidem ad præsentis *Pens* nostri *μειρηθων*, ex harum pagellarum Rubricà, sufficere potest.


S. D. G.





8





7. B. Martini Lutheri Theses Tezelio
indulgentiarum instituti oppositas ... ventilata
tas una cum quaestionibus quibusdam
eod[em] 31. Octobr[is] A[nn]o 1685. die ...
D. Jo. Frid. Mayer ... & Andreas Jacobus
Scheruaccius ...
Wittenberg o. J. [1685]
8. Apopspasmation politico-historicum de
Machiavellicis & Monarchomachis,
cuius occasione simul ... Lutherus ... a
Monarchomachis crimine ... sub praesidio
M. [Jacobi] Wolfii ... vindicatur a Georgio
Joachimio de Clinckowstrom
o. o. 1706
9. Dissertatio inauguralis et historica de J.
Martino Lutero a comitibus Augustanis
A. 1530 corpore quidem absente in illis
tamen animo praesente ... sub praesidio
Ioannis Davidis Koeleri ... exposita d[omi]n[ic]e ?
Iunii anno 1730. a Christophoro
Mauritio Lochnero [Lodino] ...
o. o. J. [1730]
10. Peter Adolph Boyers
Dissertatio critica et theologica de codice
graeco N. T. et consilio quo usus est
B[ea]tus Lutherus in conficienda
interpretatione germanica
Leipzig 1723


11. Dissertatio philologica de ... Turri
fortissima Provos. 18, 10. quam sub
praesidio Francisci Wakenii ... die
23. Junii 1730... proposuit autor
Rudolph [vs] Fider[icus] de Wichmannshausen
Wittenbog o. J. [1730]


reformat Danubius 96

colūmbus 103

1018







97.
ΑΠΟΣΠΑΣΜΑΤΙΟΝ
Politico-Historicum,
De
Machiavellicis & Monarchomachis;
Cujus occasione simul
B. MEGALANDER NOSTER
LUTHERUS,
Divinâ indulgente gratiâ,
à Monarchomachias crimine,
& Calumniis
Gvil. Barclaii,
sub Præsidiò
M. J. WOLFII. G. S. R.
ἀποχόσεως ἐνεκεν
vindicatur,
à GEORGIO JOACHIMO DE
CLINCKOWSTROM,
A. O. R. M D C C V I. Mens. Jul.